

sacerdotum sæcularium ab Ordinario translatis, fas demum fuit eam quoque missionem jam decennalem in nomen et jus converti residentiae; adeoque die Junii decima sexta anni 1857, auspice S. Joanne Francisco Regis, sedere ibi cœpit titulo Superioris idem noster cum adjuncto altero patre in his partibus jamdiu versato, unoque fratre ad omnia domestica. Quid deinde rerum ac fructuum secutum sit, docebunt venturæ quancumque litteræ.

*Ann. Litt. Prov. Française 1857-58*

### § III. — MISSIO SANCTÆ CRUCIS IN INSULA MANITULINA

CANADÆ OCCIDUI, PRO SILVICOLIS.

A Junio 1836 ad Junium 1837.

PP. 2, FF. 4 : univ. 6.

Hac de missione nihil aliud præ manibus habetur, nisi quidam index medio Octobri anni 1857 conscriptus, in quo sedulo connotantur quot per insulam ac vicinias diffundebantur variæ tribus indigetum Silvicolarum; quæ singulis sedes, aut quæ perpetuo vagæ; quot præterea apud singulas catholici, hæretici, infideles; quid denique particulatim fructuum collectorum, et bono augendo quæ adjumenta vel impedimenta.

Ex illo itaque accuratissimo indice ut ea quæ attinent huc transferamus, primo veniebant in curam aut saltem in vota nostrorum Silvicolæ ferme bis mille; intra insulam quidem mille ducenti viginti sex per pagos tredecim distributi, e quibus rursus catholici circiter mille, hæretici centum, pagani sesquicentum; extra insulam vero circa ripam orientalem lacus Huronici, pars ad austrum et orientem, pars maxima versus septentrionem, numero omnes septingenti, quorum catholici trecenti septuaginta sex, infideles trecenti, hæretici tres et viginti. Vagam vitam hi plerique aut plerumque agunt, nisi quod parte anni aliqua certos locos numero undecim repetere solent. Ex his pagis qui remotior a media insula erat, leucas distabat quinquaginta, nomine apud veteres

Relationes satis celebrato *Nipissing*, idemque secundum principem missionis sedem incolis frequentior. Haud plures tamen recensebantur nisi fere centum et quadraginta, catholici prope omnes, natura satis boni, quibus et tecta secus lacum possidentur. Quos vero pagos nuncupamus, ne quis putet pagis Europæis ullo modo similes, paucissimi, quod frequentiam incolarum spectat (si qua fas incolas dici) paucissimi, inquam, centenarium numerum superabant aut æquabant, nechulli infra vicenarium erant.

Cunctis longe anteibat, ut caput multitudinæ, sic omni bono præcipuus locus, jamdiu, deposito nomine barbaro, de S. Cruce cum ipsa missione appellatus. Prope sexcenti connumerabantur, catholici omnes, nullo admixto infideli aut hæretico. Præter ædem lapideam, conjuncta opera nostrorum et indigetum exstructam, surgebant tres minores ædiculæ, cum domo propria missionariorum, duobus pædagogis pro alterutro sexu, pluribusque prædiolis rusticis tum ad nostrum usum, tum ad exemplum et stimulum popularium. Pueros docebat regebatque F. aliquis coadjutor cum hypodidascalo indigena, uno olim suorum discipulorum; puellas duæ pariter indigenæ, satisque idoneæ docendis aliis in proprio idiomate legere, scribere et computare. Accedebant binæ Congregationes. Baptizati ibidem intra annum tres adulti, infantes septem et octoginta; benedictæ nuptiæ undecim; sepulti catholico ritu viginti tres; paschalibus funeti fere quotquot jubebat ætas.

De reliquis locis vix tres quatuorve nullum numerabant catholicum, neque ii de frequentioribus: quinque contra, plerique de celebrioribus, unicis constabant fidelibus. Per cætera fere promiscue se res habebat: mora præcipua amplexandæ veritatis, ebrietas cum pellaciis hæreticis. Adde vero quod illuminandis aut fovendis tot gregibus mortalium, tam dissipatis, tam errabundis, non plures adessent duobus operariis; quibus proinde ne semel quidem in anno oves suas omnes convenire licet. Sane nondum gaudent singuli pagi, vel omnino catholici, cum ædícula ad plebem rite colligendam, tum proprio missionariorum domicilio. Nec tamen penitus desiderabatur hoc utrumque decus. Nam in continente quidem surgebat ædícula in pago *Chibwaonaning* non procul S. Cruce. Felicius autem intra insulam quatuor pagos principi sedi circumjectos

variisque intervallis dispositos ornabant jam singulæ ædiculæ cum singulis nostrorum hospitolis, ut totidem staniunculas computare posses. His pagis nomina erant (si quid Silvaticorum idiomatum audire cupis) *Wikwemikonsing*, *Atchitawaiyaning*, *Mitchiwatinoung*, *Chichigwaning*, *Ckibwaonaning*. Primus ad euronotum distabat a primaria sede quatuor leucas; alter ad austrum sex; tertius ad occiduum decem; quartus ad caurum quinque et viginti; postremus ad ortum, etsi extra insulam, quinque tantum.

In tenuibus plusculum fortasse immoramur, spei tamen iisdem non tenuis. Sub his enim ægre coalescentibus viculis, quidni plura semina videamus futurorum oppidorum ac civitatum, prout simul cum pietate catholica cultura etiam adoleverit humanarum artium, vagæque vitæ insitum amorem superaverit amor ille certi et assidui laboris, filiis Adæ in pœnam æque et remedium cœlitus impositus? De pietate quod nunc est (ut ab uno quod traditur discantur alia) paschali præcepto paruerunt in principe quidem loco, uti diximus, prope omnes; in cæteris autem universim duæ tertiæ partes eorum fidelium, quos fas fuit a nostris conveniri.

---

#### § IV. — MISSIO CAYENNENSIS

IN AMERICA MERIDIONALI.

---

PP. 10, FF. 10 : univ. 20. Constabat Cayennensis missio : 1° sede principe in ipsa urbe; 2° septenis stationibus pro singulis fere sedibus colonorum exsulorum; 3° pluribus staniunculis aut missiunculis maxime in urbis vicinia.

Stationum longe præcipua ea erat quæ ab *Insulis Salutis* dicitur. Tribus quippe coalescebat insulis modico inter se intervallo dissitis, communiter quidem olim a *Diabolo*, nunc multo dulcius a *Salute* nuncupatis; singillatim vero quæ media est ac præcipua nomen habet a *Regia-Insula*, altera a *S. Josepho*, tertia antiquum retinuit *Diaboli*.

*Annuaire Litteraire Prov. Française 1857-58*

ubi deposita venatione illa, merces quasvis alias in modum pretii recipere. Sed re maturius considerata, satius visum est ab eo consilio desistere. Quæsitum igitur aliud remedii, multiplicatis sodalitatibus de B. V. M., virilibus, muliebribus, juvenilibus et puellaribus. Florere quidem viriles et muliebres, non autem quæ potissimæ necessitatis erant, duæ aliæ : imo cecidit quæ juvenum erat, non penitus tamen : perstitere enim saltem juniores; majorum autem reliquiæ virili accreverunt.

Promovendæ ergo agriculturæ, moletrinam sæpe sæpius promissam ac nuntiatam expetebat insulana nostra clientela anno jam quintodecimo; ac demum cum rem proximam esse rescivissent, pene omnes frumenti plus minus seminaverunt. Nos, quo et ipsis exemplo præiremus, et sementem volentibus sufficeremus, et animalia aleremus cum eorum mercibus commutanda, præcipuam operam agris colendis hactenus dederamus. Jam autem paulo mutatis rerum momentis, arborum partem in prata convertimus. An vero præsentem moletrina, futuri sint de insulanis qui molendi artem ediscant, assidueque exerceant, docebit eventus.

Spes alia circa scholas supervenit. Anno 1850 addictus fuerat fratrum unus docendæ utrique pueritiæ legere, scribere, cantare et supputare. Ubi vero duæ de numero vicenariæ puellæ visæ sunt oneri satis pares, curam ipsæ susceperunt cæteri gregis puellaris bipartiti docendi ac regendi; vivebantque monialium more seorsim in propria casa cum horto palis præfixis circumcluso. At anno 1857 in conservatorium missæ SS. Cordis apud Saltum Recollecti, quo limæ aliquid experirentur, exacto ibi triennio, reddiderunt se populari gregi suo. Cum tamen non nihil adhuc desideraretur, vocatæ auxilio Filiae Mariani Cordis, non annuerunt modo, sed suis sese impensis voluerunt sustentandas, nisi quod domum sufficeremus. Et exspectabantur in finem anni 1862; puellarem gregem edoctræ, cum cætera primariæ christianæque eruditionis, tum etiam telam texere, variaque muliebria opera, quibus divenditis ematur, quod confici ab ipsis nequiverit. Homini namque silvatico nihil ægrius comparatur, quam quidquid vestimenti est.

Missio Sanctae Crucis (Wickremburg)

In Majori Insula Manitulina.

Optante Ordinatio Hamiltonensi, ut quidquid esset in sua dioecesi missionum apud sibiricos, in curam veniret Societatis, duo novi operarii huic sedi accreverunt. Fuit ergo jam numerus Patrum quatuor, Fraterumque totidem, uti ex certo instrumento efficitur. etei catalogis nunquam plures duobus Patribus assignentur. Quos autem novos aut homines aut loca adierint, penitus oiletur. Gemitus tantum editur multus de perniciosissimis congressionibus Rubcorum fidelium cum Albis mercatoribus, maxime in vendendo venatu suo piscatorio. Cui malo ut ~~obscuretur~~ obsisteretur, actum fuerat de communi quodam receptaculo instituendo, ubi deposita

(Continued on reverse side)

*Litterae Annuae Prov. Campaniae*  
*1863-64*

*p 90*

# MISSIO SANCTÆ CRUCIS

IN LITTORE SEPTENTRIONALI LACUS HURONICI

ET IN MAJORI INSULA MANITULINA.

---

Numerabantur PP. 5, CC. 4. — Universi 9.

*1<sup>o</sup>. De difficultatibus inter silvicolas et regios administratores.*

Editæ superioribus annis litteræ jam satis docuere quam multas habeat difficultates Manitulinensis missio, quantoque conatu assidue Nostri enitantur, ut silvestres populos ad humaniores vivendi consuetudines adducant. Anno 1862, inita fuerat a proregis administris cum quibusdam heterodoxis hominibus conventio, qua indigenis, quidquid reliquum agrorum esset, in totum præripiebatur. Gravissimas, ut par erat, turbas inter viros læsæ gentis principes illa pactio excitavit; quorum nomine unus e missionariis Quebecum se contulit, acturus cum publicæ rei curatoribus, ut ab iniqua conventionem per æquitatem resiliatur. Sed his in sententia perstantibus obstinate, proregem ipsum adiit Noster. Ille quidem ei pollicitus est primum, ejus se partes silvaticorumque causam esse suscepturum; deinde vero, quoties de illius adhibendo patrocinio ageretur, rem ipse totam regii procuratoris arbitrio committebat. Quid autem spei collocari poterat in arbitrio ejusmodi, quum scilicet a supremis

ipsis harum regionum administris obortum esset contra silvaticos bellum, atque idcirco ab iisdem adversus sua ipsorum acta sententiam ferri oportuisset ?

Interim Noster, dum constitit Quebeci, concionandi ministerio est functus, sive in parœciis, sive in sanctimonialium domiciliis, ut quamplurimos sibi adjungeret pios christianos, sanctæ illius causæ vindices et patronos. Silvaticis suis iterum redditus, statuit ea de re ad Coloniæ procuratorem in Angliam litteras supplices mittere, quibus Novæ Franciæ Episcopi suum singuli nomen apposuerunt. Hinc igitur Anglicus administrator apud rectores Quebecenses institit vehementius, ut sarta tecta silvaticorum jura servarentur, ad veterum conventionum præscripta, quibus, Georgio tertio imperante, illius gentis rationes ordinari sunt jussæ. His suasionibus nedum gnaviter obsequeretur procurator Canadensis, ad silvestrium terras decempedatores misit, qui tractum insulæ, in disceptationem vocatum, dimetirentur. Silvatici autem reclamare et objurare contra, decempedatoribus indicere ut facessant quantocius, et gubernatori supremo violati juris denunciationem exhibere, cui regionis primores subscripserant universi. Paulo post administratores, silvatico infensi nomini, magistratu dejiciuntur, viris in eorum locum suffectis, qui propensam, aut certe non iniquam, erga silvaticos voluntatem præ se ferebant ; quod quidem facto insigniori fuit brevi exploratum.

2° *De auxilio in calamitate publica a novis administris collato.*

Intemperiis diurnæ siccitatis horribilis incendii vastitas accessit, quæ latos simul ambæ campos sunt populatæ. Solido mense amplius fumidi vortices aerem ita obnubilabant, ut dissita paucis passibus corpora cernere vix posses. Stratæ passim viæ actis vento cineribus ; et si quis, vel incuria, vel aeris instaurandi gratia, fenestras domicilii expansas relinqueret, supellectilem ac tabulata cinere obsita reperiebat. Precibus in

commune adhibitis, cœlum ad misericordiam flecti paulisper est visum; at modicis imbribus siccitas iterum succedebat, ut quisque vereretur, ne conflagrationis furor omnia penitus absumeret. Silvaticisulantibus, publicam supplicationem in diem assumptæ Virgini sacram indixerat Episcopus; cui quum ipse adesset, manibus torquem marianum adstringens, insigni pietatis exemplo cunctis præibat. Sine mora propitiâ se præstitit gloriosa Virgo: sub ipsam noctem copioso imbri depluit, ut sensim ignis evanesceret, ac pauculæ saltem, quibus flamma pepercerat, messes seponerentur. Sed fames imminebat: plerisque enim familiis aut nihil, aut vix tantum præsto erat, quantum ipsis per mensem alendis sufficeret. Quas rerum angustias quum intellexissent recentes proregis administri, nulla mora interpositâ, centum triginta nummos francos mitti jusserunt, inter egentiores quosque peræqua proportione distribuendos. Nonnulla quidem evenerunt, antequam pecunia dispertiretur, quæ justam silvaticis indignationem moverent, quæque adeo haberent Nostros vehementer sollicitos; sed his denique remedium afferi potuit: neque ullo prorsus nomine regionum administrorum culpæ vertendum, quidquid ea in re vel iniquitatem vel inconsiderantiam saperet.

### 3° *De spe futurorum.*

Jam restat deinceps, ut copia fiat indigenis rationes suas pro lubitu gerendi, utque eam demum quasi tutelam excutiant, qua irretiti nihil de rebus propriis vendere, nihil mutare, nisi annuentibus administris regiis, queunt. Jus istiusmodi porro vindicant omni ope silvatici; nec immerito confidunt, pro ea qua jam sunt adversus illos æquitate supremi magistratus, quidquid rectum justumque sit se denique obtenturos.

Interea Nostrorum labor eo potissimum spectat, ut gentem suam ad colendos agros quam maxime comparatam habeant. Quum autem ad hoc usque tempus, quæ colligebant frumenta debuissent parvulis scaphis



imponere, ut dein quatuor vel etiam quinque dierum itinere ad ea molenda proficiscerentur, pistrinum misellis conficiendum curaverunt; quo tamen ipsis, ab ejusdem constructione siccitate incendioque exercitis, parum uti hactenus licuit.

SUMMA OPERUM.

Confessiones particulares . . . . .	8,150
— generales . . . . .	260
Communiones . . . . .	10,000
Catecheses . . . . .	573
Conciones . . . . .	163
Adulti baptizati . . . . .	14
Visitationes pauperum et carcerum . . . . .	400

---